



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro adnumeratione consortioq[ue] omnium amicorum Dei, Precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Pro adnumeratione consortioꝝ omnium amicorum Dei, Precatio.

O Iesu dulcissime, per illud suauissimum gaudium tuum te rogo, vt abyssus infinitæ misericordiæ tuæ, vsque ad me nouissimam creaturam tuam, viliissimum & ingratisimum peccatorem descendat, quo etiam me inter electos tuos connumerare, ipsorumq; consortio dignum facere digneris, vt vna cum eis habeam te summum & felicissimum bonam, & interminabile gaudium, nunc hic per gratiam, & in patria iugiter per gloriam, Amen.

Iesus Christus vti suis electis discipulis Spiritum sanctum transfuserit.

GLORIFICATIO XIII.

A Ve firmitatem & constantiam omnium electorum, Iesu rex fortissime: Adoro, laudo & benedico te pro illo indicibili discipulorum tuorum gaudio, quo ipsos in ciuitatem regressos & congregatos, Patris & tuum promissum expectantes, iustificasti, dum Spiritu sancto in ignis specie, repentino sonitu descendente, & super singulos eorum sedente, ipsos virtute ex alto induens, roborasti, quatenus in fide confirmati, mysterium fidei & crucis trophæum, timore abiecto, prædicantes, per totum mundum veherent, & per coruscantia miracula fidem verbis darent.

Pro gratia, illuminationeꝝ, Spiritus sancti, Precatio.

O Iesu bone & dulcissime, ne dere linquas me orphanum, sed mitte promissum Patris tui in me Spiritum veritatis, vt mecum sit & mecum laboret, qui doceat me quod coram te acceptum sit omni tempore, qui charitatis, pacis & concordie vinculo corda nostra astringat, vitia expurget, virtutibus & lumine tuæ cognitionis illustret, Amen.

*Iesus Christus vti matrem suam sacratissimam visitauerit, assumpserit, & supra eun-
dos Angelorum choros exaltauerit.*

GLORIFICATIO XIV.

A Ve flos & fructus matris virginis Iesu Christe, omnium beatorum altitudo, merces & gloria: Adoro, benedico & laudo te pro illo maximo gaudio quod habuisti, quando discipulis de incarnatione tua, iam plenius instructis, & fundamentis Ecclesie erectis, dulcissimæ matri tuæ, absentis filij desiderio ardenti, & amore nimio languenti, completa eius peregrinatione & ex hac miseriarum valle iam migraturæ, rotus festiuus & gloriosus, vna cum vniuersa cœlestium frequentia occurristi, ipsamq; amoris amplexibus suscepisti, cœlestibus melodijs deductam, supra cunctos cœli ciuium ordines sublimasti, & ad dexteram tuam in cœlesti throno collocasti.

Pro Dei gratia, per eius matrem in hac vita augmento, & post eam cum eadem Dei matre glorificatione, Precatio.

O Iesu amabilissime, dator gaudij, largitor solatij, luctus releuator, meroris effugator, qui beatissimam virginem Mariam matrem tuam diuinæ Maiestatis speculum, Angelorum solatium, tuæ bonitatis imaginem, nostræ salutis originem, multiplici gaudio in terris & in cœlis beatificasti, concede mihi pauperi, vt qui ad eam, quasi ad fontem gaudij, in doloribus & angustijs meis fiducialiter recurrere præsumo, ipsius intercessione perpetuo tuam mercedem habere

gra.